

et gratiam. Dignum est et omni ratione consentaneum, ut hi, qui Principibus pro tempore exhibent obsequium, sui laboris praemio non fraudentur; praecipue, ut alii eorum exemplo ad indefessae fidelitatis constantiam animentur, quos sui laboris praemia viderint assecutos. Hinc est, quod Radus et fratres eius de Klokoche: Zorian, Vezt, et fratrem ejus uterinum Damianum, cum fratribus suis, Zladech cum fratribus suis, Wranco cum fratribus suis, Blaz cum fratribus suis, Fridrich cum fratribus suis, Dobrogozt cum fratribus suis, Wlchan cum fratribus suis, qui de filiis Jobagionum sancti regis de Goricza oriundi fuerant, ob fidelitatis suae meritum, qua Patri nostro et nobis servierunt, tanta donauimus praerogativa libertatis, ut tam ipsi, quam ab eis in perpetuum descendentes, de domo et familia nostra de cetero censeantur. Quibus etiam terram de Klokoche perpetua donauimus libertate. Itaque de cetero ad jam dictum castrum nullum habeant respectum (subiectionis). Terra autem eorum his metis distinguitur. Prima meta est inter Gorizam et Gay; quae ab incolis dicitur Glaue. Inde per viam tendit ad campum, qui appellatur Berzopolje; inde vadit super caput fontis Illaibez, et venit ad caput rivi, qui vocatur Knesepotok, et per eundem rivum descendit in rivum dictum Koranna; per quem descendit ad pedem montis, qui dicitur Ozlyche. Inde ascendit per cacumen eiusdem montis, et descendit in rivum dictum Iwanpotok. Inde per viam tendit ad campum, qui vocatur Chittepolye (Kerč. Chiltepolye. = Čistopolje?), et venit ad dumum, qui dicitur Velike greche; inde tendit per viam, et transit Glujam per ponticulum, et venit ad caput rivi Pestenoga. Inde vadit per viam, et venit ad locum, qui dicitur Potochysche, ubi antiquitus fuit ecclesia. Abhinc tendit ad montem, qui dicitur Kerker (vel Kecker), et inde venit ad montem, qui vocatur Vtokaverch; inde venit ad locum, ubi rivus Tolstipotok cadit in Coraniza, et transit et ascendit in montem, qui appellatur Sucho. Deinde venit ad rivulum, qui dicitur Gerstina, et transit et venit ad salicem super Glinam, quam transit, et venit supra caput rivi, qui dicitur Skopchno, et tendit ad viam, quae venit de Seyne (Segnia); et per dictam viam venit super sylvam, quae dicitur Krote (vel Keote) Buchovia, et per eandem viam redit ad primam metam, quae vocatur Glave. Porro hospites, quos praedicti liberi homines habuerint infra metas praescriptas, decem denarios debent annuatim persolvere pro marturinis. Vnde quilibet de praefatis liberis hominibus tertiam partem marturinarum habet de suis hominibus, duae vero partes marturinarum totius terrae illius, quae ad jus nostrum pertinebant, Radus et haeredibus eius dedimus in perpetuum pro fidelitate et multimodis servitiis Patri nostro et nobis ab eo collatis. Quoties vero necesse fuerit, in exercitu nostro, quindecim loricatos, et centum pedites vernaculos expeditos habebunt. Vt igitur regni nostri consuetudo exigebat, dictam terram et libertates praetexas saepe dictis liberis hominibus de Klokoche per Prestaldum nostrum Petrum filium Jorche de Zagrabiā fecimus assignari. Vt autem tam nostra concessio, quam nostrae confirmationis series cum libertate a nobis concessa, perfectae robur obtineat firmitatis, praesenti pagina in notitiam deduci posterorum et Regiae auctoritatis Sigillo iussimus roborari. Dati vero testes sunt; vt factum praesens ampliori robore fulciatur: Chak Comes Budrugensis, Allader (Fejér. Alexander) Magister, Martinus Banus, Bachia Comes Zagrabiensis, Andreas Magister. Hujus autem terrae indigenae, Guncellinus Archiepiscopus Spalatensis, Martinus Episcopus Corbauiensis, Michus Episcopus